MARTYROLOGIUM USUARDI

Entstehungsort unbestimmt (Diözese Brixen ?), Mitte 15. Jh. Seite 3r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35079
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



dum etiam ipsi sancti vel homines vel angeli exhiberi sibi
nolunt. quod uni deo deberi norunt. Apparuit hoc in paulo
et barnaba cum moti miraculis que per eos facta sunt. ly-
caonij tamquam dijs immolare voluerunt. Conscissis enim
vestimentis confitentes ac persuadentes se deos non esse
ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit et in angelis sicut et
in apocalipsi legimus. angelum se adorari prohibentem
atque dicentem adoratori suo. Conseruus tuus sum et fratrum
tuorum. deum adora. Honorandi sunt ergo martires propter
imitacionem. non adorandi propter religionem. honorandi sunt
caritate non seruitute.

Kalendas Januarij.

A Circumcisio domini nostri ihesu xpi.
siue octaue natiuitatis. Rome
natalis sancti almachij martiris.
qui iubente alipio urbis pre-
fecto. cum diceret. hodie octaue
dominice diei sunt. cessate a sup-
sticionibus ydolorum. a gladiato-
ribus occisus est. Via appia
corone militum triginta sub dio-
cleciano imperatore. Item ro-
me sancte martine virginis que sub alexandro imperatore
diuersis tormentorum generibus cruciata. tandem gladio mar-
tirij palmam adepta est. Apud spoletum sancti concordij
presbiteri et martiris. temporibus anthonini imperatoris. qui primo
fustibus cesus. deinde eculeo suspensus. ac ferro post in
carcere maceratus. ibique angelica visitacione consolatus. de-
nuo gladio vitam finiuit. In cesarea capadocie deposicio
sancti blasij episcopi. cuius celebritas xviij kal. Julij potissimum
recolitur. In affrica beati fulgencij ecclesie ruspensis episcopi. qui
ob catholicam fidem. eximiamque doctrinam exilio relegatus.
tandem ad propriam ecclesiam redire permissus. vita et verbo
clarus. fine sancto quieuit. In territorio lugdonensi sancti